



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 100. Poloniæ Legati Parisios venientes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI.
A.C. 1573.

Electo novo Poloniæ Rege Commendonus Legatus datus ad Papam literis in Italiam redeundi veniam postulabat, quamvis summus Pontifex exoptaret, ut recens nominati Regis adventum præstolaretur, illumque in primis regni sui auspiciis salutaribus consiliis adjuvaret, nec minus id Franciæ Oratores a Commendono exorabant: cum autem Viro de Ecclesia adeo bene merito hæc gratia denegari haud posset, Papa literis benevolentia plenis eisdem rescripsit, quod ejus arbitrio relinqueret, an Romam venire, vel Regem expectare vellet: Commendonus autem urbem repetere statuens Gratianum, quem a secretis habebat, in Polonia reliquit, dato eidem negotio, ut tandem, usque dum Rex ex Galliis advenisset, ibidem subsisteret, eo fine, ut tunc, si hæretici mutata rerum facie rursus Regni tranquillitatem interturbare molirentur, saltem non deesset, qui summi Pontificis nomine illos præpedire posset, ne quicquam contra veram Religionem moverent.

§. C.

Poloniæ Legati Parisios venientes.

Die decima nona Augusti Poloniæ Legati Lutetiam Parisiorum venerant, ubi ab utroque Rege, totaque aula

aula cum debiti honoris testificationibus fuerunt excepti. Tertia post adventum die sistebantur Regi, cujus dexteram osculabantur, ac Posnaniensis Episcopus suorum sociorum nomine verba faciens ita diserebat: „cum Polonica Natio sui erga regiam Majestatem affectus testimonium magis luculentum haud edere potuisset, nisi ejus Fratrem ad ejusdem diadematis honorem assumpserat, duntaxat ejusdem precibus ad id permota, hinc hujus felicitatis nuntium allaturi in Franciam contendimus, spe freti, quod hæc electio in totius Europæ commo- dum cedat. „ Ad hæc Rex ob Legatorum adventum se gaudio affici testabatur, ubi iidem postea ad Reginae Matris, necnon ad regiae Conjugis alloquium admittebantur.

§. CI.

Oratores novum Regem salutantes.

Altera die Poloni Oratores equis vestiti sua obsequia novo Regi suo non ita pridem a Rupellensi obsidione reverso deferre parabant, qui etiam a præcipuis aulæ Proceribus ad eundem introducti perbenigne excipiebantur, hac etiam occasione Posnaniensi Episcopo perorante, qui hæc effatus est: „cum regnum per Sigismundi Augusti obi-

L 5

„tum

Sæcul. XVI.
 A.C. 1573.